



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 95. Archiducis iter in Hispaniam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

gessissent, confictum esse Isabellæ testa- Sæcul. XVI.
 mentum; de cetero aiebat Manuel, Ar- A.C. 1505.
 chiducem haud gravate se Regis arbi-
 trio hac in re commissurum, id tamen
 unice ab illo rogare, ne saltem progressu
 temporis Castellani Regni successio ipsius
 prolibus controversa esset. Rex Catho-
 licus hac Manuelis oratione stupefactus
 reposuit, nunquam admissurum se, ut a
 Genero suo obsequiorum amplitudine su-
 peretur, ac propterea honorem sibi libe-
 raliter exhibitum mutuæ benevolentiae
 argumentis se compensaturum: ad hæc
 respondit Orator, quod Archidux dun-
 taxat efflagitet, ut Regis titulus ipsi tri-
 bueretur, & viginti quinque Ducatorum
 millia pensionis nomine ex Castellæ redi-
 tibus percipienda, eidem darentur, nec
 non ab eis, qui lapsu temporis illius sub-
 diti futuri essent, homagium recepturus
 in Hispaniam vocaretur. Nulla mora has
 condiciones acceptabat Ferdinandus, at-
 que Archidux rem edoctus unicas in eo
 curas intendit, ut itineri sese accingeret.

§. XCV.

Archiducis iter in Hispaniam.

Ergo in omnibus Zeelandiæ portibus Havens an-
 validam classem instrui jubet, nil mo- nal. Brabant.
 ratus Regis Franciæ preces, qui misso
 ad eum legato iter differri rogabat, do-
 nec

Sæcul. XVI
A.C. 1505

Marian. lib.
28 n 80.
Et 81.

nec litem cum Socero suo composuisset; ast ipso consentiente Ferdinando cuncta sublata erant obstacula, aliunde discessum maturabant, impensæ potissimum Castellæ Procerum sollicitationes, qui Archiducem, ut in Hispaniam veniret, repetitis literis stimulabant: igitur cum in omnibus Belgii portibus plusquam sexaginta naves penitus instructæ in anchoris hæerent, cunctis in Zeelandia convenire jussis, Archidux unacum Regina conjuge sua die octava Novembris Bruxellis profectus est: cum vero Zeelandiæ detineretur, Legatos suos in Hispaniam decrevit, suo nomine cum Ferdinandi Regis Oratoribus plena transigendi potestate munitos: Articulos autem, de quibus inter eos conventum, integros Mariana recitat. Hi ad septem capita reducuntur, hujusque scederis, quod conclusum, ac die vigesima quarta Novembris utrinque firmatum est, Sponsors summus Pontifex, Imperator, & Angliæ ac Lusitaniæ Reges nominabantur.

§. XCVI.

Novem Cardinales a Papa creati.

Alf. Ciacon.
Et Paris de
Grassis tom.
1. p. 246. Cum Julius Papa Cardinalium numerum, qui cum plurimum obitu imminutus est, resarcire cogitaret, hac de re Ludovicum XII. missis ad eum literis die prima